



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. 4. Am mariti hæredes teneantur Uxorem alere tempore non solutæ  
dotis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

§. 4.

An mariti hæredes teneantur Uxorem alere tempore non soluta dotis?

1787. Resp. Affirmativè; nam maritus habet hanc obligationem fundatam in dotis acceptione, & retentione; ergo ad idem tenentur ejus hæredes, quamdiu manet fundamentum dictæ obligationis; sic Castropalaus cit. cum communi. §. 2. n. 4. qui tamen duas condiciones requirit: prima est, si velit in eadem domo commorari cum hæredibus; addit Haunoldus tom. 1. tr. 9. n. 426. & ut alii, quibus debentur alimenta, consuetas operas prestare, ut colligitur ex L. Sicut. ff. de operis libertorum; quod tamen intellige, si decenter, & honestè in eorum domo cum illis commorari possit; ne alioquin dispositum in ejus favorem, sit potius detrimentum. 2. Si alium de non habeat; nam si se ipsam alere possit, vel ex fructibus dotis, vel labore statui suo non indecoro, hæredes ad alimenta ejus non teneri, colligitur ex L. si quis à liberis. §. 1. ff. de liberis agnoscendis; quod tamen limitari debet, ut non procedat, si prægnans relicta sit. Nam in hoc casu, quousque foetus nascatur, alenda erit ab hæredibus mariti, licet alimenta haberet ex bonis propriis, etiam dote jam restituta; sic Baldus in L. divortio. ff. solut. matr. & constat ex L. 1. §. mulier. & L. Curator. ff. de ventre in possess. mittendo.

1788. Not. autem, nos loqui de obligatione hæredum tempore dotis non soluta, quo ejus solutio justè nondam ab eis præstita est. Si enim injustè (nimirum ultra tempus non solvendi concessum) dotem detineant, Uxor negligens actionem, sibi contra illos competentem, sibi nocet. Et ideo etiam Uxori licet pro recuperanda dote sibi retinere domum, & alia mariti bona sibi reperta; quia licet per L. Creditores. C. de Pignoris, Creditori non sit concessum, bona debitoris, eo invito, in pignus occupare; secus tamen est, cum jam possidet absque ulla vi, & fraude.

§. 5.

An pro solvenda dote maritus teneatur ultra id, quod potest?

1789. Resp. si maritus dolo fecit, ut dotem solvere non possit integram, cum debet,

posse illum in solidum conveniri pro dote ne lucrum capiat ex dolo cum aliorum detrimento. L. etiam. 19. §. Licet. ff. solut. matr. sic Rebellus cit. p. 2. lib. 5. de oblig. Just. q. 9. f. 1. n. 11. quod etiam procedit, si dos inæstimata sit, licet ipse egeat. Nam cum in hoc casu mulier ejus dominium habeat ex dict. supra; æquum non est, Uxorem ob hoc, suis bonis propriis spoliari, & ea marito applicari; sic Rebell. cit. l. 5. q. 9. n. 6.

Cæterum regulariter in casu restit. 1790. tuendæ dotis, soluto matrimonio, non tenetur maritus ultra, quam facere potest, cum dos ei tradita, æstimata est æstimatone faciente venditionem, ut habetur expressè L. Maritum, cum seq. ff. solut. matrimonio. Dixi regulariter. Nam in casu dotis etiam æstimatæ, excipitur. i. id, quod diximus de viro, dolo suo, inope, n. prior; deinde, si mulier egeat; quia in necessitate Uxori favendum est; præsertim cum hic agatur de damno ex parte Uxoris vitando, & ex parte mariti solum de captando lucro.

1791. Quæstio est, an privilegium maritis (veris) concessum, ne in dotis repetitione, quæ hæredibus Uxoris defunctæ conceditur, adversus maritum restitutioni dotis obnoxium, teneantur ultra quam possunt, procedat etiam in filiis, vel aliis hæredibus mariti, ut non teneantur in eo eventu ultra quam possunt? Resp. procedere in filiis, si sint ex utroq; etiam si & illi sint hæredes, sed propter conjunctionem, quam habent cum Patre L. Etiam. ff. solut. matr. L. sunt, qui, ad finem. ff. de re judic. Non autem hæredibus extraneis, L. Maritum cum L. seq. ff. eod. ibi: sed hoc hæredi non est præstandum; sic Rebellus p. 2. l. 5. q. 9. n. 27. dixi privilegium maritis veris, ac filiis eorum, ex utroq; parente descendenti- bus concessum, ne, cum Uxoris defunctæ dos repetitur, teneantur ultra, quam possunt, ut excluderem maritos putativos. Nam his non idem datum est; cum nec dotem lucrentur, nec ejus fructus; nec dilatio dotis restituendæ illis permessa sit; ut pluribus ostendit Fachinæus, lib. 10. controvers. c. 30.

1792. Ex hoc not. cum separatur matrimonium, quia nulliter contractum est, dotem integram Uxori restituendam; quia licet